TRIA DIFFICILIA

Ex Summa

DIVI THOMÆ DOCTORIS ANGELICI,

Ad normam Proverbialis difficultatis per Allegoriam

EXCERPTA.

I. Via Aquilæ in Cælo, id est, DEUS, & Angeli.

II. Via Colubri super Petram, id est Homo, vitiis & peccatis fædatus. Tandem, Gratiâ, Fide, Spe, Charitate, & Iustitiâ, exornatus.

III. Via Navis in medio Mari, id est, Homo DEUS & Sacramenta.

AUGUSTISSIMÆ VIRGINI

MARIÆ,

Quam Dominus possedit ab initio viarum suarum,
Omnium Difficultatum Divinarum Demonstrationi,

Votivo Argumento

CONSECRATA:

ET

Sub Faventissimis Auspiciis,
Multùm Reverendi in Christo Patris,

P. CONSTANTINI MOSZYNSKI,

SS. Theologiæ Doctoris, Conventus Rupellani ad Cracoviam
PRIORIS,
Provinciæ Polonæ Definitoris Meritissimi.

V. P. F. CÆLESTINO OBIEGŁOWICZ,
SS. Theologiæ Auditori consummato, ad Resolvendum
PROPOSITA.

Sub Præsidentia Reverendi in Christo Patris,
P. DIONYSII CHEŁSTOWSKI,
Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ, AA. LL. & Philosophiæ Doctoris,
SS. Theologiæ Actualis & Primarij Professoris.

Anno Domini 1706. Mense Aprili. Die 12 *Horis consvetis.*

CRACOVIÆ,
Typis Christophori Domanski, S.R.M. Typog.



PRÆFATIO.

QVæ pridem Incarnatum didicisti VERBVM En Tibi Scholastico more Ternionem Trium difficilium supplex offero. Serenissima Virgo MARIA. Quæ licet VERBVM Divinum Tuæ nunquam labili mandasti memoriæ, hanc tamen ternionis pagellam, à Tuo noli eliminare Albo, nec ostendas potentiam contra folium quod vento rapitur. Non meretur quidem à Tuis revolvi manibus, sat vilem & contemptu dignam, de vitijs & peccatis continens materiem. Sed quia ex natura sua, peccatum est nihil, sistit se ante conspectum Tuum, ut in Te, nihil peccati fuisse testetur. Exambit Theologia nostra Tuum Patrocinium, pro hac igitur ambitionis nota, sub Tuum illam depone calcaneum. Apprehende pedibus, quod mente alij concipiunt, quæ sola conceptum sine errore defendisti. Concludimus de Te ô MARIA! sed non sine Te, ex cuius præmissa gratia, felix rerum sequitur eventus & corona. Laudet Te os alienum, mihi laudis Tuæ thema sufficit, Hyperdulici Honoris MARIANI cultorem Te dixisse, M. R. in Christo PATER. NAVICVLA Tua nunquam erit naufraga, cui corrusco jubare, Stella Maris prælucere dignatur. Ex Noemitica Navi, emissus non redijt corvus, at ex Tua Gentilitia NAVICVLA Paulinus nunquam exivit corvus, qui hucusq; de Moszynsciorum pascitur mensa. Pridem jam NAVIS hæc ad Rupellanæ Vistulæ stitit littora, sed quia in Rupellam veluti in Scillam incidit, more naufragantium Avia Tua S. memoriæ,

in fun-

in fundum quia in fundationem perpetuam Conventus Rupellani aliquot millia ut ita dicam proiecit, utquè Posteri de hoc pijssimo Legato cogitarent semper, in Mysliczow illud collocare Nobilissimæ Fundatrici placuit. Ne Paulino Corvo & in Wielgomlynensi Conventu sua deesset annona, Pater Tuus, & Pater Patrum Nostrorum, cuius summorum beneficiorum æterna extat memoria, illuc suam direxit Naviculam, quæ ibi facta est NAVIS, *portans panem Fundationis. Ita exundaverat affectus Parentis Tui in Nostros, ut etiam post fata seipsum dederit. Non hic meta* MOSZYNSCIANÆ *Carinæ, quæ nunc primum plùs dare Religioni Sacræ non potuit, cùm Te Nobis dederit, qui omnes (omnium explens satiansve animos) suaviter cogis dicere sufficit. Vexit Argo hæc in Tuo Parente Sacræ Religioni munificentias, at Tu Colchico maior Iasone, non tam vellus aureum, quàm auream Sapientiæ messem. Cuius ut etiam ego indignus Tanti Nominis Filius particeps efficiar, Supplex Tuis cum Theologicis Thesibus prosternor plantis.*

Paternitatis multùm Reverendæ

Indignus Filius,

Fr. C. O. S. Th: Auditor Consumatus.

PRIMVM DIFFICILE
DEVS & ANGELI.
Per Viam Aquilæ in Cælo allegoricè propositum.

AB Iove principium esto difficultatum Nostrarum, non Cui, fabulante Antiquitate Aquila ministrabat fulmina, sed, sub cujus alis se protegendam supplicat Ecclesia, dum inquit: *Sub umbra alarum tuarum protege nos:* Aquilam ergo magnarum Alarum jure dixeris DEVM T. O. M. cujus Essentiæ viam si quæsieris difficultatem pati debebis: Quemadmodùm Apostolus exclamat ad Rom: II. *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* De Viâ quâ processit Filius DEI à Patre, si quæsieris, Via Aquilæ est, eaquè difficilis; ideò quòd nullum ad extra posuerit passum, solo manente signo Originis in Mappâ fæcundi Intellectûs Divini. Ne scruteris & Viam, quâ processit CONSOLATOR Optimus, Dulcis HOSPES Animæ; nam & hic Aquilino in viam pacis à Patre & Filio abivit tractu, qui tantò difficilis, quantò utriq; Spiratori non similis: Egrediuntur ad executionem in tempore Decreta Divina, quorum emissiones & via exinde difficilis, quod humanum præveniant liberi arbitrij motum, nec expectant consensus humani præcursorem. Hac difficultate Divinæ Viæ, Atheistæ pressi exclamare audent: Nisi videro non credam. Sed audi ò Athee! Augustinum tom: 8. in Psal: 73. *Animam tuam quis videt? Corpus tuum videtur: Cùm ergo corpus tuum solum videtur, quàre non sepeliris? Sicut tu sepultum velles Deum, quem quia non vides esse negas.* Vrget ulterius idem S. Doctor: *Quare non sepeliris? respondes: quia vivo. Unde scis quia vivo? respondebis, quia loquor, quia ambulo, quia operor: Stultè ex operibus corporis agnosco viventem, & ex operibus naturæ non potes cognoscere Creatorem.* Athee ut DEI demonstrationem enerves, admittis seriem causarum infinitam, aut occultos atomos, ex quorum fortuito concursu omnia coalescant; hanc autem seriem infinitam, hos atomos occultos, hunc concursum fortuitum, nec tibi visus, nec sensus, nec ratio ulla spectandum exhibuit. Item admittis res Vniversas à solo Fato gubernari: nequè tamen te arbitror ullo hactenùs sensu Fatum magis, quàm DEUM percepisse: Quàm stulta est Atheistica propositio: NON est DEVS. Non ideò Sol non est, quod tu eum non videas: sed ideò miser es, si nolis videre, certè nolis: quia dixisti in corde, non est DEVS, ubi est voluntatis officina. Proh dolor! inquit Richardus Archdekin Soc: I. Serpit

hæc

hæc dira contagio non tantùm inter humiles casas ignaræ plebis, sed ve maximè homines politos, & ipsas Principum aulas pedetentim invadit: ubi à multis DEVS vix colitur, nisi purpuratus: Fortunæ tantùm litare, Viros Principes, ut Semideos colere, & ab alijs coli, plurimis Summa aut Vnica Religio est. Atheismo affinis est Polytheismus, nam inquit S. Athan: orat: contra Idola: *Multitudo Numinum nullitas est Numinũ.* Et Tertul. lib. 1. advers. Marcionem Cap. 3. *Deus si non unus est, non est.* Chrysostomus tractans de insipiente illo qui dixit in corde suo: NON est DEVS inquit. Primus insipiens Diabolus fuit, qui primus præco multitudinis Deorum extitit dicens: ERITIS SICUT DII: Occasio autem invehendi Polytheismi prima & potissima timor, ut dicit Petronius. *Primus in orbe Deos fecit timor.* Qui enim DEUM verum audire noluerunt jubentem, timere cœperunt minantem atque ut evadere possint pœnam impendentem quæsierunt sibi alium propitium Deum ad quem ab irato Deo recurrerent. Ita fecit Ovidius, qui cùm Cæsareum Numen offendisset, idcircò relegatus in Pontum fuisset Deos maris & Cæli confugit, rogans, ne Cæsaris iræ subscriberent. Sed ne inusitatum implorare videretur patrocinium addidit.

Sæpè præmente Deo, fert Deus alter opem,
Quæ varijs exemplis illustrans adjungit:
Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo,
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit,
Oderat Æneam propior Saturnia Turno,
Ille tamen VENERIS Numine tutus erat.
Sæpè ferox cautum petiit Neptunus Vlyssem,
Eripuit patruo sæpè Minerva suo:
Et nobis aliquod, quamvis distamus ab illis,
Quid vetat irato, Numen adesse Deo.

Contra quos

EX PRIMA PARTE.

CONCLUSIO I. Datur DEVS Vnus.
CONCLUSIO II. Quidditas ejus est Intelligere.
CONCLUSIO III. Cognoscit Futura absoluta in Decreto Prædeterminante.

VOlucres Cæli dici merentur Angeli, quos sacer textus duabus volare, & duabus velare Faciem Dei testatur alis. Horum Nativus Empyreum nidus, in quo cum pressura doloris tremendus contigit illius Angeli, qui manè oriebatur abortus tunc, quando cum ipso & cara Deo Angelorũ pignora viperino morsu corrosis cæli visceribus in sinum terræ descenderũt & contempto DEI Vbere, melle & lacte fluente, inter pœnam sensûs, & pœnam damni, veluti inter duo ubera commorari jubentur fumosum miris sed veris modis sugentes ignem. Maturum eos amisisse quis non videt statum? dum in violentis inferni cunis veluti infantes in fascijs per

alligationem manere coguntur. Ne mirare; Cæli nidum, hunc fætum pati non potuisse, ubi ambitiosa eorum moles Cæli sedem giganteo fastu gravare videbatur. Extitisse nihilominùs nonnullos Philosophos, qui negabant Angelos, seu purè Spirituales Substantias in rerum natura, & hoc ideò, quia cùm cognitio nostra originem ducat à sensibus, & illorum ministerio res cognoscendas sibi assimilat, & præsentes facit: Sensus autem sola percipiunt corpora: Vnde aliqui opinati sunt, nihil aliud esse in rerum natura, quàm corpora. Quapropter & Animam Rationalem, & DEVM ipsum censuerunt esse quoddam Corpus, puta Cælum, Solem, Lunam, &c. Quorum errores secuti sunt Saducæi & Manichæi. Saducæi ut habetur Actor: 23. dicebant *non esse Resurrectionem, nequè Spiritum.* Manichæi autem asserebant: DEUM esse Lucem quandam, per infinita spatia diffusam: Angelos autem & Animam Rationalem, dixerunt esse particulas Divinæ Lucis: Si quæris Saducæe Angelos, invenies in nido, quem sibi posuit Corvus PATRIS Nostri in Solitudine, sed non soli. Sedit & in ejusmodi nido Aquila Angelus, Annuente Sede Apostolicâ, ut multiplicaret sibi Confratres Solus immultiplicabilis, foretquè ARCHI-CONFRATERNITATIS ANGELICÆ, Primus in Ordine Nostro Parens.

EX EADEM PRIMA PARTE.

CONCLUSIO I. Dantur Angeli.

CONCLUSIO II. Vltra unum non sunt plures intra eandem Speciem.

CONCLUSIO III. Habent Vbi per operationem.

SECVNDVM DIFFICILE HOMO,

Per Viam Colubri Significatum.

SErpentino semel Homo implicatus peccatorum nodo, ad tantam hebetudinem devenit ingenij, ut se explicare non possit, nisi per VERBVM. Tanta enim est Colubri calliditas, ut & fæcundum intellectûs in homine exusserit vigorem, & fumosâ Lumen rationis obfuscaverit caligine, nocivumq; evomuit frigus, ex quo & ruditas intellectûs & pigrities sensûum nasci solet. Quasi à facie Colubri fugere peccatum monet Eccl. 21. Nam tantò magis nocere consuevit, quantò blandiùs demulcet: tantò majorem homini minatur vilitatem, quantò pretiosiorem in esse homini, Libertatis deprædicat gemmam; tantò seducit animam, quantò apparentis boni fucatum ostentat colorem. Difficilis quæstio S. Hieronymo fuit proposita: Cur DEVS non fuerit dignatus hominem producere impeccabilem? Si non potuit, Omnipotens non fuit? Si non voluit, benignissimus quomodo fuit? *Artifex conatur opus suum tam perfectû facere, quàm desiderat & valet: Deus desiderat hominem esse sine pec-*

cato,

cato. Hæc est voluntas Dei sanctificatio nostra. 1. ad Theſſ. 4. Nec aliud odit, quàm peccatum. Cur ergo me non produxit tam bonum? ut nunquam malus ſim? Si dicas: Deus voluit nos liberos; Reſpondebo, cum perfecta libertate ſtant ipſius Gratiæ efficaces; quas ſi mihi dederit, ero ſimilis illi, quo non ſurrexit major. Reſponſum accipiamus genuinum ex S. Hieronymo lib. 2. contra Pelagium: qui inprimis monet tales quæſtiones eſſe temerarias & obnoxias culpæ. Vide Iſaiam cap. 45. intentantem talibus maledictionem: *Væ qui contradicit Factori ſuo! væ qui dicit Patri, ut quid me genuiſti? & Matri, quare me peperiſti.* Ratio & ultimum reſolutorium factorum Dei, agit S. Auguſtinus, eſt Voluntas ipſius facientis: Poteſtne vas figuli jure quæri contra Opificem? Poteſtne damnatus conqueri ſe non habuiſſe ſufficientia deſuper auxilia? Congruentiam: Cur Deus non fecerit impeccabiles, S. Hieronymus inculcat: Cùm mundus creatus ſit ad manifeſtandas perfectiones Dei, & ideò condidit Cælum ad declarandam ſuam Liberalitatem in Bonos: Infernum verò ad juſtitiam in malos? Hominem condidit ad declarandam ſuam miſericordiam; hæc autem non potuiſſet tam bene manifeſtari, ſi homo peccabilis non fuiſſet. Nam præcipuus miſericordiæ actus eſt, ſcelera condonare; ut videre eſt in Exod. ubi cap. 34. Deus vocatur, *Miſericors, Clemens, Patiens, multæ miſerationis:* Et ſtatim ſubjunctum eſt ibidē: *Qui auſers iniquitatem ſcelera atquè peccatum.* Divinam miſericordiam conſiderans D. Dionyſius c. 4. de Divinis Nominibus, imaginatur Deo ineſſe Amorem erga peccatores ad inſtar motus Orbicularis, atquè Circuli admirabilis, hoc modo, quod quando Amor Divinus extra ſe ſuam effundit benevolentiam in res creatas, nos ſuæ bonitatis illecebris ſuaviſſimè trahit ad ſeipſum, ut ab ipſo egreſſi per Creationem, ad ipſum regrediamur per Beatitudinem. Et ideò Beatitudinem Mirandulanus appellat: *Reditum Creaturæ intellectualis* ad ſuum Principium, quem reditum impediunt per modum obicis ſcelera & peccata; & à conſecutione finis, qui eſt Beatitudo per actus humanos tanquam media aſſequibilis abſtrahunt. In hâc Viâ Colubrinâ ita erravit Pelagius, ut Ariadnæ Filum non ſufficeret eum quondam Eccleſiæ Filium in viam reducere rectam. Intelligere non potuit, quâ ſemitâ Ceraſtes peccati Originālis voluntatem noſtram in Capite Adæ incluſam invaſit, idcircò & omne auxilium gratiæ tam efficax, quàm ſufficiens ſuffocavit.

EX PRIMA SECVNDÆ.

CONCLUSIO I. Beatitudo Formalis eſt ſola Viſio Dei, ut eſt in ſe.

CONCLUSIO II. Peccatum formaliter eſt privatio: Cujus DEUS non eſt Cauſa.

CONCLUSIO III. Gratia efficax non eſt ex conſenſu liberi arbitrij talis, ſed ex virtute ſuâ intrinſecâ eſtq; phyſicè prædeterminans: Diſtinguitur realiter à Charitate Gratia Habitualis.

EX SECVNDA SECVNDÆ.

CONCLUSIO I. Objectum terminativum Fidei est Veritas prima in Essendo.

CONCLUSIO II. Objectum motivum est Veritas prima in dicendo connotans Veritatem in cognoscendo.

CONCLUSIO III. Objectum Formale Iustitiæ, est honestas æqualitatis sita in adæquatione operationis debitæ ad jus alterius.

TERTIVM DIFFICILE

Per Viam Navis in medio Mari repræsentatum,

HOMO DEVS, & SACRAMENTVM.

QVidam dixit: Mitto tibi nAVEm prorâ puppiq; carentem. Misit & æternus Pater ex Divina Pelago effusæ Bonitatis suæ nAVEm, prorâ puppiq; carentem; dum per Angelicum AVE oneratam rigoroso præcepto Patris Personam VERBI veluti Onerariam fluentem in medio Maris, quia in MARIANO Vtero posuit; ubi Vnionem inæstimabilis pretij acquisivit. Et certè caret prorâ hæc NAVIS: dum Patrem secundùm carnem nescit: caret & puppi; dum assumptâ Humanitate Personalitatem creatam in eadem Navi navigare non permisit. De hujus Naviculæ Viâ in MARIANO Mari non sis cunctabudus, monet Concilium Toletanum: *Si enim ratione ostendi posset, non esset mirabile; si exemplo, non esset singulare.* Si felicem aspiras portum, hanc conscende Scapham, quæ est Vniversæ Salutis Vehiculum: VERBVM itaquè CARO factum est. Non capit hoc mysteriũ Nestorius, non capit Euthyches: Ille cum dualitate Personarum; Iste cum confusione Naturarum: Vnde duplex in CHRISTO Persona, & simplex Natura, duplex est error, cui oppositum tenet Fides Catholica: Duplicem videlicet Naturam & Vnam Personam. Exinde tamen non duo, *sed Vnus est Christus, quia hæc Persona non confundit Substantias: nec Substantiæ dissipant Personæ Unitatem.* Inquit S. Bernardus Serm: de Vigilia Nativitatis.

EX TERTIA PARTE.

CONCLUSIO I. VERBVM Caro factum Esse non est demonstrabile naturali ratione.

CONCLUSIO II. Pura Creatura non potuit satisfacere de condigno pro peccato, quàmvis illud non sit simpliciter infinitum.

CONCLUSIO III. Si Adam non peccasset, Christus non venisset.

INfensissima Acatholicorum Hydra septenario Sacramentorum se opponit Herculi, in Navi nostra se salvandos sperant & secundam post naufragium tabulam non tenent, & hoc quod per subtractionem malitio-

sam

sam sacrum numerum ad duo Sacramenta reducant per multiplicationem sub utraq; speciæ recompensare videntur. O quantus scrupulus! O quàm sacrilegus restitutionis modus! O quanta hospitalitatis officiositas! ponere mensam sub utraq; Specie; cui Solum & Vnicum sufficit Manna; quod quia est absconditum; ideò apud Sectarios est difficile captu, quomodo Manna sumi potest sine calice? qui ut vincant usum utriusq; Speciei Eucharisticæ, adducunt Leonem & Gelasium Papam, à quibus damnatos ajunt Manichæos, eò, quòd sub una Specie communicarent: ideòq; ab his Pontificibus utrãq; Speciem Fidelibus prçceptam esse inquiunt, ut habetur apud Gratianũ in ca. COMPERIMUS. Sed falsũm est Manichæos simpliciter propter unius Speciei sumptionem damnatos esse, quod nullibi legimus, res autem sic se habet: Manichæi, qni Vinum, Sanguinem Draconis appellabant, nullo modo credebant sub Vini Specie Christi Sanguinem posse contineri. Hinc docebant, non nisi sub una Specie cõmunicari posse: Cùm autem isti ex Affrica Romam venientes, Sectam suam dissimulare vellent, Catholicis se adjungebant, & cùm illis sub una tantùm Specie cõmunicabant, ut ita cõmodiùs laterent. Quam fraudem ut notarunt Pontifices LEO priùs, & postea GELASIUS, exinde præceperunt, ut omnes Catholici sub utraq; Specie Eucharistiam sumerent: quod & factum est & hoc pacto, Manichæi à Catholicis discreti sunt. Ratio ergo hujus Ecclesiastici præcepti non est necessitas utriusq; Speciei, sed tantùm ut Hæreticorum error & fraus detegeretur.

EX TERTIA PARTE.

CONCLU: I. Sacramenta Novæ Legis causant gratiam physicè.
CONCLU: II. Communio Paschalis sub utraq; Specie non est necessaria.
CONCLU: III. Implicat Sacramentum Pænitentiæ validum & informe.

QVARTVM PENITVS IGNORO,

Nisi Te DEVM Ter Optimum Maximum,
Qui
Si vis Viâ Aquilæ nos Salvos fieri, *Eleva.*
Si Viam Colubri Vitare, *Precave:*
Si Viâ Navis Portum Felicitatis intrare. *Impera Ventis.*

Ad M. D. G. B. M. V. I. C. Honorem.